DE CONSENSU ORGANISMI HUMANI PARTIUM INPRIMIS VENTRICULI ET INTESTINORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
PHILIPPUS RICHARDUS SAVELS
AQUISGRANENSIS.

OPPONENTIBUS.

C. BRÜNINGHAUSEN, MED. ET CHIR. DD.
A. THIER, MED. ET CHIR. DR.
A. WUERZBURGER, MED. ET CHIR. DR

BEROLINI,

TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE

D. D. D.

FILIUS, AUCTOR.

PROOEMIUM.

Observanti mihi per aliquod tempus, quod in exercitationibus clinicis consumsi, quanti semper momenti in morbis consensus partium esset, res haud indigna visa est, cui majorem operam impenderem, quamque diligentius investigarem, cum accuratam ejus cognitionem practico medico utilissimam, atque adeo necessariam esse mihi persuade em. Quare, oblata occasione, eo libentius consensum illum tractandum mihi elegi, quo fructuosiorem eam quaestionem mihi ipsi fore intelligebam. Quodsi praeterea commilitonum alicuius studium in hac re excitare vel augere hisce pagellis potuerim, finem, quem in scribendo mihi proposui, me assecutum votique compotem esse factum, libentissime fatebor.

Ceterum, quum considero, rem quam subtilem ingredi audeam, quamque exiguae vires mihi suppetant dubito, an hac quaestione plane abstineam, nisi me lectoris humanitas ac benevolentia valde confirmarent, quas in diiudicando hoc libello summas fore spero atque confido.

CAP. I.

DE CONSENSU IN UNIVERSUM.

§. 1.

Notio consensus.

Si corporis humani organismum contemplaris atque consideras, actiones multiplices tibi licet animadvertere, quibus se declarat illius vita. Causa proxima illarum actionum vita quidem est intelligenda, sed vita ipsa prorsus dependere debet a vi quadam magis remota et nobis hucusque innota, quam simpliciter vim vitalem vocamus [1]). Cujus vis vitalis plura in organismo observantur instrumenta, *organa* sic dicta, quae secundum certam legem animalem admiranda conspiratione ad totum corpus conservandum inter se concertant. Si omnium organorum functiones facilitate quadam ac levitate procedunt, voluptatem sentimus, et nos sanitate gaudere dicimus. Harmonia autem inter organa laesa, atque functione quadem a statu normali plus minusve

1) Hufeland Pathol. Bd. 1. initio.

abhorrente, sensatio molestiarum, dysphoriae, aegritudinis, nec non morbi ipsi oriuntur. Verum praestans est vis vitalis, ut ita dicam, studium et harmoniam inter omnes functiones conservandi, *vis conservatrix naturae*, et sublatam restituendi, *vis medicatrix naturae*. Quem ad finem auxilium vi vitali maximum proficiscitur e concordia organismi partium, qua quasi unanimae et veluti pacto foedere se invicem adiuvant, ita ut quaevis singula pars pro omnibus, omnes pro singula agere videantur. Etenim et inter partes, quae ad perficiendam quandam functionem coniunctim conferunt, interque eas, quae singulae functionem magis sibi solis traditam administrant, observare licet commercium et mutuam compassionem, qua efficitur, ut, si altera pars aegrotet, alterius integritas simul laedatur. Hanc inter corporis humani partes intimam societatem atque familiaritatem *consensum* seu *sympathiam* medici vocant, ita tamen, ut alii has voces confundant, alii voce consensu de statu sano seu normali, et voce sympathia de statu morboso uti soleant; quam distinctionem et mihi liceat omittere. Minime tamen quaecunque plurium partium affectio simultanea consensualis est, quia facillime duae partes simul corripi possunt causis plane diversis. Parti autem, quae sympathice afficiatur, affectio primaria causa subsit necesse est. Haud minus ne simultaneas affectiones cum consensualibus commutes, caveas, si organa in eiusmodi connexu versantur, ut vitae actio alius plane nitatur ea alterius. Exemplum hoc magis elucebit: cerebrum ad vitam suam manifestandam sanguinis arteriosi a corde missi omnino indiget; in asphyxia

autem cordis inertia exoriente hoc sanguine caret, et paralytica affectio exinde insequens sensu strictiore non est consensualis, sed libentius horum morborum, quos non legitime a pluribus scriptoribus consensui adnumerari, opinor, alterum idiopathicum alterum deuteropathicum designemus.

§. 2.
Divisio consensus.

Affectio consensualis quamvis tam gradu quam modo valde differat, prout has vel illas inter partes intercedit, attamen fines atque normae a natura sunt praescriptae, quas consensus transire non solet, *cons. naturalis, normalis.* Sed nonnunquam consensum a statu regulari plus minusve abhorrentem deprehendimus, ita ut partes corripiantur, quae illius connexu in universam minus gaudent. Huic *praeternaturali seu morboso* consensui plures subesse possunt causae, inter quas nimia sensilitas praestantissima est intelligenda. In plaga hysterica eiusmodi abnormes inter partes connexus observandi nobis saepissime occasio se offert. Praeterea partem etiam corporis debilitatam aut alio modo per longioris temporis spatium affectam sibi plerumque consensum solito latiorem contrahere innotuit. Tali modo levioris momenti ulcusculum brevi tempore dignitatem multo altiorem consequi posse experientia edocti sumus, qua re et latissimus ille remediorum derivantium usus, quem ad sanandos morbos adeo necessarium et salubrem cognovimus, potissimum nititur.

§. 3.

Leges consensus normalis.

In observandis naturae actionibus certas normas utique animadvertimus. Ad corporis humani organismum quod spectat nunc eas, quae in communicandis partium affectionibus continentur, investigemus.

I. Affectio cuiuscunque indolis consensu propagari potest.

Inflammatio arachnoideae nonnunquam pleuritiden consequitur, nec non paralysis nervi frontalis amaurosin efficere valet.

II. Si inter organa consensus intercedit, utraque affectio et primaria et secundaria qualitate diversa est.

Irritamenta ventriculi et intestinorum vermibus exorta in naribus pruritum excitant, in oculo autem pupillae dilatationem.

III. Affectio sympathica partis cum primitus aegrotante similem structuram organicam habentis eadem, quod spectat ad qualitatem, est ac primaria.

Si membranae mucosae secretio in ventriculo aucta est, lingua muco obducta sese nobis praebet; et in febre puerperali, ubi inflammatio et secretio morbosa peritonaei adest, plerumque aliae membranae serosae per consensum eodem modo afficiuntur.

IV. Affectio singulae cujuslibet organi partis aliorum organorum texturas ejusdem generis libentius, quam ceteras organi primitus affecti partes, sympathetice ingreditur.

Membranam serosam ventriculi nil ad digestionem conferre constat, eamque aucta membranae mucosae secretione incolumem observamus. Hydrops adscites in universum sine diarrhoea progreditur viceque versa, nec facile in ophthalmia catarrhali, ubi coniunctiva sola inflammata esse solet, membranae alius generis morbi sunt participes. Contra facillime secundum telae extensionem affectiones propagari experientia testatur. Quapropter arthritis ac rheumatismus illam mutabilem circumvagantemque indolem ubicunque praebent.

V. Connexus inter organa nonnunquam est ejus indolis, ut affectio consensualis primariam vel deminuere, vel plane tollere valet.

Huius consensus speciei, quam *antagonismum* medici vocant, praestantissimum nobis exemplum praebet connexus, quem inter testes et parotiden nec non inter parotiden et mammas, aliasque inter partes observamus. Haud raro enim parotitide evanescente orchitis insequitur, et gonorrhoea suppressa frequenter testium inflammationem excitari constat.

Quibus praemissis reapse sane elucebit, illas partes imprimis sympathetice invicem sese afficere, quibus est eadem textura. Haud minus eas inter partes consensus observatur, quae per actionum societatem arctiore vinculo coniunctae sunt. Itaque non mirandum, quod cum utero mammae intimo gaudent consensu, quem iam Hippocrates [1]) bene cognovit.

---

1) cf. Aphor. Sect. V. 37. ibid. 52. ibid. 53.

§. 4.
De causis consensus.

De causis primitivis si disserere vellemus ad eam mirabilem vim vitalem reverti cogeremur, qua omnes non solum organismi humani sed totius imo mundi actiones reguntur, quaeque explicari nequit. Sed experientia nos docuit, quibus conditionibus organicis consensus plus minusve praecellat atque igitur causae in promptu sunt, quae ad consensualem partium connexum maxime praedisponunt.

Primum profecto illas inter causas locum tenet *partium conditio nervosa.* Nervi, quorum auxilio omnis actio vitalis indiget, per totum corpus distributi arctissimo nexu partes continent atque hac ex causa summopere quadrant ad singularum affectiones communicandas; quo efficitur, ut quo maior nervorum copia parti, eo uberiore illam et efficaciore consensu gaudere conspiciamus. Quamvis cerebrum tanquam nervorum provinciae centrum nec non actionum spontanearum moderator praeluceat, nihilominus tamen plexus et ganglia nervorum sunt, quae ad illam affectionum communicationem inter partes efficiendam quam plurimum valent.

Etsi affectiones consensuales inprimis nervorum systematis auxilium desiderant, attamen *connexus vasorum sanguiferorum* maximi est momenti, nec dubitandum est, quominus arcta vasorum communione inter organa intercedente consensus valde augeatur; quod praesertim elucet, si spectemus organa abdominalia. Imo sunt rerum periti, qui, omni nervorum nexu per disci-

dium sublato inter ventriculum, hepatem, lienem duodenumque consensum remanere et sustineri posse incolumitate vasorum ex communi trunco, arteria coeliaca exortorum, contendunt.

Non minus *communio vasorum lymphaticorum* ad affectiones sympathicas praedisponit. Sufficienter hoc elucet nec in dubium vocari potest, si animum advertimus ad illos frequentissimos casus, ubi corruptio unius glandulae ceteras labefacere valet. Quid saepius, quam glandularum axillarium in scirrho mammae corruptio?

Continuitas partium aeque ad earum laesiones propagandas confert. Tali modo calculis in vesica urinaria versantibus urethram, nec minus in morbis renum testiculos labefieri observamus.

Omnes iam commemoratae conditiones etiamsi adsunt, nil valent ad affectiones consensuales efficiendas, nisi irritamentum accedit, vel interne, vel externe corpori illatum; quod si satis efficax est, nil impedit, quin consensus sese manifestet.

CAP. II.

DE CONSENSU VENTRICULI ET INTESTINORUM.

§. 5.

De dignitate ventriculi eiusque consensus.

Ventriculus et intestina organismo sunt maxime necessaria. Omnia animalia, quaeque simplicissimis organis praedita sunt, ventriculo gaudent, nec ullum unquam animal sine ventriculo innotuit, atque phytozoa ex solo fere ventriculo constant. Etiam in hominibus, etsi ceterarum partium quavis singulari plus minusve sint orbati, salvam vitam observamus. Sic infantes acephalos per dies non modo vivere sed eiulare adeo et sugere videmus. In ipsis hominibus adultis cerebrum, salva vita, ab exostosi paene depressum atque deletum deprehenditur. Sic saepenumero maximam pulmonum partem destructam esse, sic infantulos sine corde edi, nec raro organa uropoëtica fere cuncta abolita conspicimus.

Praeterea ventriculus, totius organismi quasi centrum, et oeconomiae animalis praeses, tantam in cete-

ras partes vim exercet, et tam efficaci latoque cum cetero organismo gaudet consensu, ut a multis clarissimis scriptoribus totius corporis rex iure nominetur. Itaque non mirandum, quod ventriculus, omni quodammodo graviore malo affectus, quam citissime et efficaciter sensum communem affligit. Morositas illa atque aegritudo, qua homo sibi et aliis oneri est, crebro ex mala ventriculi conditione oritur. Contra ventriculo sano et incolumi homo valet atque hilaris est. Laeso ventriculo non solum vires animi suppressae turbataeque sunt, sed totus organismus condolere solet, et frequentissime cum ex hac causa febricitantem observamus. Febris imo intermittentis, omni alia causa deficiente, solum artificem ventriculum observavi in homine, qui toties illa corripitur, quoties cruditates adsunt in ventriculo, quibus remotis, convalescit. Quare in plerisque morbis paulo gravioribus ventriculi conditio initium, progressum, decrementum et remissionem, omnemque fere decursum morbi indicat. Quam ob rem appetitus redivivus praesertim in morbis acutis redeuntis salutis certum signum habetur. Haud minus ventriculus et intestina cum ceteris corporis partibus compati solent: nam, ubi oculus, auris, nasus, lingua, digitus aut aliud ullum organum aegrotat, quodnam organum gravius per consensum afficitur quam ventriculus?

Experientia medicorum quotidiana hanc sententiam comprobat, inde Fridericus Hoffmann [1]) „Nulla,"

---

1) Vide eius Medic. ration. syst. tom. II. p. 116, ibid. tom. III. p. 94.

inquit, „pars in universo corpore est, quae tam conspicuam, et intimam cum omnibus et singulis nervosis corporis locis atque organis harmoniam et sympathiam alat, quam ipse ventriculus, adeo, ut, si ulla pars, quae exquisitae sensationis est, etiam longius dissita, praeter naturam afficiatur ac moveatur, statim etiam stomachus inde luat et compatiatur." — „Inde etiam patet, quare in omnibus fere morbis actio ventriculi, videlicet appetentia, digestio et chylificatio vacillet, et attenta observatio abunde doceat, quod, ventriculo male habente vel gravius laeso, a quacunque etiam causa id fiat, protinus universum nervosarum partium systema inde offendatur." —

Si denique novam illam theoriam spectamus, quae recentissimo saeculo inter Gallos evulgata est, *la Gastro-enterite de Broussais,* quantumque celeberrimus auctor consensui ventriculi et intestinorum tribuat, consideramus, haud scio, an nullo argumento sententia magis confirmetur. Maximam enim consensus illius vim atque dignitatem esse oportet, quippe quae solum theoriam illam commendare atque tueri potuerit.

§. 6.
Cons. stomachi cum capite.

Experientia quotidiana nobis abundantia suppeditat exempla compassionis inter capitis partes inprimisque cerebrum et ventriculum occurrentis. Quid frequentius, quam vertigo et dolores capitis post coenam paulo uberiorem, aut ventriculo infestis rebus repleto provenientes? Ettmueller rarissime aegros vertigine corripi

ar-

arbitratur sine praevio ventriculi vitio. „Vertigo inquit, „vulgo dividitur in eam, quae est per essentiam, et proprie et primario affecto cerebro, et eam, quae est per consensum, et affectis partibus inferioribus contigit; sed ut verum fatear, rarissima est vertigo per essentiam, quando practicorum observationes monstrant, vertiginem fere omnem esse vitio partium inferiorum, ut diutius affligens et crebrius recurrens, usque eo spiritus animales et cerebri texturam alterare et immutare valeat, ut tandem e vitio cerebri proxime affligere videatur." Eodem modo nonnulli homines, et mediocri ciborum copia assumta, gravitatis sensatione ac doloribus capitis facile afficiuntur, et indies nobis occurrunt exempla eorum, qui, de capitis gravitate ac doloribus acerbissimis affectibusque soporosis conquerentes, intercedente vomitu liberantur. At etiam graviores cerebri affectiones vitio stomachi effici posse comperti sumus. Delirium laborante ventriculo emanans observavit Helmontius, qui ventriculo laeso omnes animi functiones laedi annotat. Melancholiae, maniaeque causam frequentem vitium organicum in ventriculo aut intestinis haerens commemorat Wichmann, et in sectione cadaverum hominum, qui modo laudato laboraverant, fere ubique coarctationem intestinorum se invenisse testatur [1]).

Haud raro evenit, ut auctore ventriculo infestis rebus repleto, aut alias affecto maculae nigrae et scintillae oculis obversentur, imo ipsa coecitas producatur

---

1) Ideen zur Diagnostik. Hann. 1800. Bd. I. p. 183.

quae inde emeticis aut catharticis removetur. Whytt [1]) dicit, se novisse mulierem, cui omnia fumo contecta esse viderentur, qnotiescunque ventriculus acidis affectus esset. Dilatatio pupillae frequentissimus comes est vermitionis, cui nec minus strabismus nonnunquam debetur. Vitio ventriculi amaurosin oriri posse, plures scriptores testantur, nec ignotum est, eum gravem morbum remediis hanc causam respicientibus aliquando optimo effectu curari. Consensus organi auditus quanquam non est tam extensus, attamen surditas et susurrus aurium nonnunquam a vitiis ventriculi deducenda sunt. Iam Hippocrates dicit: „Ὀκόκοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσεος ἐπιγενομένης παύεται, καὶ ὀκόκοισι κώφωσις, χολωδέων ἐπιγενομένων διαχωρημάτων, παύεται.“ Paulini nobis tradit exempla, ubi auditio musices vomitum ciebat [3])

Consensus nasi cum stomacho sufficienter manifestatur pruritu in vermitione frequenter occurrente. Spreugel dicit [4]) „ich fühle, so oft mich auf botanischen Spaziergängen der Hunger überfällt, einen heftigen Reiz im Magen; darauf ein kribbelndes Gefühl den Rückgrat hinauf: plötzlich ergreift es den Gaumen und die Nasenhöhle, und ich muss heftig niesen: unläugbar ist hier der Intercostalnerve der Leiter des Gefühls; er

1) cf. die zur praktischen Heilkunde gehörigen Schriften a. d. Engl. übers. Leipzig 1771. S. 261. 460.

2) Aphor. S. IV, 28.

3) Observ. cent. IV. observ. 71,

4) Semiotik §. 604.

pflanzt die Empfindung des Reizes von seinem Haupt-Geflechte bis auf seinen Ursprung, und von da auf den Vidischen Nerven fort.

Ad faciem quod attinet, certe nobis praebet praecipua signa diagnostica in morbis gastricis. *Celsus* [1]) „qui habent“ inquit, „faciem pallidam et tumidam, aut capite, aut visceribus, aut alvo laborant.“ Rubor insuetus atque calor faciei, quae praesertim post coenam eveniunt, nobis certum laesae digestionis signum suppeditant.

Nec minus in malis partium commemoratarum ventriculus sympathetice afficitur. Continuae nimiaeque animi intentiones inappetentiam procreare et digestionem omnino turbare valent. Eo magis sese manifestat hic consensus in omni graviore capitis affectione acuta e. g. in vulneribus capitis aut contusionibus et prorsus in hydrocephalo, quem non raro eam ob causam cum vermitione commutari scimus.

§. 7,

Cons. stomachi cum lingua, faucibus, oesophago eaque adiacentibus partibus.

Continuitas membranae internae, mucosae ventriculi atque communitas quam maxime valent ad efficiendum eum praecellentem consensum, quem et rerum imperiti non ignorant. Lingua quasi nuntius est fere omnis conditionis ventriculi, et medicus nunquam aegrum relinquat, priusquam eam inspexerit. Accedunt variae

---

4) De medicina. Lib. II. cap. 7.

sensationes in lingua, faucibus et pharynge atque laesiones gustus, de quibus aeger ipse mentionem facit, quasque nervorum iuncturis imprimis debemus. Hinc etiam deducenda est accumulatio salivae, imo ptyalismus ex irritamento ventriculo et intestinis illato; ipsius dysphagiae causam nonnunquam in stomacho et intestinis reperies. Nec minus labia tremefaciunt sordes ventriculi seorsim turgescentes. Consensus dentium aeque perspicuus est et odontalgia gastrica, nec non stridore dentium in vermitione occurrente sufficienter manifestatur. Etiamsi stemachi consensus cum dentibus sane iusto saepius accusatur, nihilominus illum plane negare experientia omnino impedimur.

§. 8.

Cons. ventriculi cum organis respiratoriis peculiaribus atque pectore.

Intimum has inter partes nexum praesertim recentiore tempore medici agnovere, bonum effectum remediorum antigastricorum usus ad curandos harum partium morbos sedulo observantes. Ballonius praestantissimam illam sympathiam variis locis commemorat. „Si quid est“ inquit „praeternaturale contentum in ventre inferiore, maxime circa os ventriculi, illud ratione continuitatis difficultatem respirationis adferre potest.“ Ettmuellerus primus tusses, asthmata, syncopes aliasque pectoris affectiones distinxit pectorales et stomachales. Nostro tempore observationes de hac re permultum amplificatae sunt. Huc fere omnes respirationis abnormes motus referendi; respiratio frequens, celer; nec non

respiratio difficilis, asthmata saepenumero digestione turbata, stomacho praegravato, obstructionibusque praesertim in systemate portarum efficiuntur. Tussis causa quoties sint vitia gastrica non solum omnes solertiores practici, sed etiam unusquisque bene novit, qui simili malo quandoque fuit affectus. Stoll [1]) contendit, tussim infantium fere semper a stomacho cruditatibus sca tente solere proficisci. Quid de singultu et sternutatione superest, ut commemorem, quae frequentissima morborum stomachalium et intestinorum symptomata esse, satis constat. Moseder [2]) vidit hominem, qui unico emetico mutitate liberabatur. Hufeland [3]) mentionem facit de pluribus infantibus, qui ex causa helminthiasis periodica quadam mutitate laborabant. Imo alaliam epidemicam multos milites improviso corripientem Eggerdes [4]) observavit, qua omnes emetico sanabantur. Incubus, cuius quidem natura nondum satis cognita nobis est, certe tamen cum stomachi vitiis cohaeret. Plerumque eum observamus in hominibus, qui digestione laesa vel obstructionibus laborant, et non raro cum malo hypochondriaco coniunctus intercedit. Etiam affectiones inflammatorias in pectore irritamentis stomachi exoriri constat. Andry [5]) arcessebatur ad iuvenem viginti

---

1) Ratio medendi t. VI. §. 210.

2) cf. Gessners Entdeckungen der neuesten Zeit. B. III.

3) cf. Ueber die wesentlichen Vorzüge der Inoculation; desgl. über verschiedene Kinderkrankheiten. Leipz. S. 334.

4) cf. Medicus, Geschichte periodischer Krankheiten. Bd. I. Cap. 2. §. 26.

5) cf. de la génération des vers, in praefatione.

novem vel triginta annorum, febre vehementiore correptum, cui coniunctus erat dolor lateris punctorius cum sputo sanguineo et respirationis insigni difficultate. Venaesectione primo die instituta et die sequente reiterata, sudorem lenem cum magno aegri solamine tertio die provocavit. Die quarto melius se habere videbatur, verum nocte delirium supervenit, quod hora septima matutina cessabat. Nonnulla indicia lumbricorum nunc in excrementis reperta persuaserunt medico, ut potionem catharticam praescriberet, qua brevi tempore plures lumbricos viventes depulit aegrumque plane sanavit. Tempore recentiore eiusmodi observationes pluries factae sunt, et consensus inter ventriculum et pectus etiam per bonum effectum, quem usus remediorum antigastricorum in pleuritide et pneumonia aliisque magis chronicis morbis pectoris habet, quam maxime confirmatur.

Consensus autem cor inter et ventriculum evidentissimus est atque cordis actio certe multo rarius alienata est malis sui ipsius, quam per morbos aliorum organorum et praesertim ventriculi. Pulsum eius debilem, palpitationem etc. saepenumero ex laborante ventriculo oriri indies observare licet.

§. 9.

Cons. stamachi cum abdominis partibus.

Omnes fere abdominis partes quum unanimae ad digestionis negotium conspirent, omnino non est mirandum, quod in statu morboso eodem modo consentiant, ac alterius damno altera labefactetur. Quanquam lienis

officium et dignitatem medici nondum integre cognoverunt, illius tamen consensus cum ventriculo satis con firmatur sectionibus hominum, in quibus correptum ventriculum cum liene alienato coniunctum invenire solemus.

Eo arctiore et praestantiore cum ventriculo connexu gaudet hepar. Hepar inflammatione correptum in nullam corporis partem tantam vim exercere videmus, quantam in ventriculum, eodemque modo iecur tangitur affectionibus ventriculi. Stomacho per emeticum iusto fortius, aut alio quodam irritamento in motus spasmodicos vehementes rapto, pariter afficitur hepar, quo fit, ut e cystide bilis in duodenum effundatur et deinde spasmodica intestini contractione in ventriculum translata, vomitu eiiciatur. Eadem ratione spasmos hepatis non solum idiopathicos, sed etiam per consensum cum stomacho excitatos ductus biliferos concludere, secretionem impedire atque tali modo icterum provocare posse, facile est intellectu. Calculo autem in vesicula fellea versante aeque ac in ictero calcaneo cardialgiam, imo hyperemesin saepenumero observamus.

Renum denique consensus cum stomacho in pluribus morbis palam fit. Nephtritide nauseam imo vomitum excitari experientia edocemur. Praeterea alia renum vitia nonnunquam vomitus chronici causam esse, testatur Wichmann [1]). Morgagni [2]) plures casus commemorat, ubi cardialgiam renum calculo laborantium

1) c. I. B. I. S. 187 — 8.

2) de sede et causis môrb. Epist. 42. n. 13.

symptoma observaverit. Contra, quantum ventriculus laesus valeat ad renum secretionem, et quantitate et qualitate alienandam, innotuit; nominatim in colica renum secretionem frequenter valde deminutam, imo impeditam esse medici comperti sunt.

Intestina autem si respicimus atque meditamur, nihil esse nisi continuatum ventriculum, quocum unam eandemque structuram habent atque officio omnino congruunt, certe non est mirandum, quod consensus, qui hasce inter partes dominatur, maximus est; unde fit, ut affectio ventriculi in totum canalem propagetur ac irritamentum membranae mucosae in ano illatum ventriculus eodem modo persentiat. Vomitum plerumque diarrhoea subsequitur, hernia incarcerata vomitus frequentissimus est.

§. 10.

Cons. ventriculi cum genitalibus.

Iam vero si ad genitalia progrediamur eximium cum stomacho consensum praesertim utero concedamus necesse est. Affectiones uteri ex magna parte per ventriculum declarantur, quo fit, ut gravidae frequentissime nausea et vomitu corripiantur. Iam Hippocrates illum intimum connexum pro dignitate aestimavit, dicens: [1]) nihil magis experimento compertum esse, quam, laborante utero, statim etiam ventriculum et nauseare et everti, ac quum ventriculus doleat, nisi exiguus admodum dolor sit, uterum etiam paulo post dolere; et

1) De ipidem. Sect. I.

alio loco [1]); quae uterinis morbis teneantur, aut ex suppressione menstruorum, aut alioquin ortis, magnopere eas solere iuvari vomitibus, quia cum utero magnopere consentiat ventriculus. Quin etiam in passione hysterica digestio laesa magni momenti sit, haud dubitandum est. Quantam in universum vim exerceant ventriculus et intestina ad genitalia indies observanti palam fit, nec innotum est, per consensum irritamentis stomachi priapismum et satyriasin, fluoremque album, imo impotentiam et sterilitatem posse exoriri. Praeterea vermes in intestinis versantes frequentem onaniae infantum causam esse experientia docet.

Pariter morbi genitalium ventriculum labefactare valent. Irritatio genitalium reiterata seu continuata, cuiusvis sit indolis, inappetentiam, nauseam ac completam digestionis turbationem provocare potest.

§. 11.

Cons. stomachi cum extremitatibus et cute.

Superest ut ostendam, ventriculum etiam cum his omnium partium remotissimis noxam suam communicare. Praegravato ventriculo extremitates languore et lassitudine corripi propria experientia certe unus quisque sibi persuasum habet. At etiam morbis spasmodicis haud rara causa est ventriculus, quo fit, ut prae ceteris in aetate infantili saepissime occurrant. Paralysin ex eadem causa ortam non minus observandi occasio nobis data est; nec plures medicos *paresin*: sic dictam

---

1) centur. 10. 52.

ex colica statuere, latet. Consensus extremitatum cum ventriculo praesertim elucet in arthritide, quam inprimis digestione laesa provocari atque foveri, quisquis scit. Zimmermann [1]) nobis tradit historiam morbi, qua haec sententia magnopere confirmatur; aeger iam per longius tempus podagra valde vexatus, opinans, victum animalem causam esse morbi carne plane abstinere decrevit. Morbus deinde levior factus, sed non omnino decessit; qua re commotus aeger denuo carne oblectari coepit. Sed paulo post tormina multo vehementiora prioribus eum corripiebant et adscendentes ad abdomen usque et ventriculum subito vomitum ciebant, quo aegrotus omnino sanatus est.

Etiam cum cute ventriculus in commercio est et multum valet ad functionem eius alienandam. Praeterea exanthematibus tractus intestinorum nonnunquam causa est, nominatim prurigini, urticariae et aliis. Eodem modo suppressio exanthematum malis inficere valet ventriculum; sic scabie retrogressa scirrhum ventriculi exoriri posse, plures scriptores contendunt. Transspiratio cutis suppressa, teste Zimmermann [2]), in Italia frequentissimam colicae causam suppeditat. Nil denique frequentius, quam quod refrigeratis pedibus atrocissima ventris tormina suscitantur.

---

1) Von der Erfahrung. Bd. I. Buch III. Cap. 8.

2) l. c. Bd. I. Buch IV. Cap. 10.

§. 12.
De causis consensus stomachi.

Si praecellentem locum, quem quasi gubernator in medio totius organismi tenet ventriculus cum intestinis, nec non eorum dignitatem in oeconomia machinae respiciamus, certe non mirandum est, illa quam maxime valere ad ceterarum corporis partium functiones actionesque. Quodsi membranarum teneritatis, magnaeque nervorum in ipsis copiae, et latissimi tam per nervos et vasa quam per telarum continuitatem connexus cum cetero organismo rationem habemus, praestantissimus ille et amplissimus consensus eo magis elucebit. Maximi certe momenti est ad efficiendam affectionum communicationem *plexus coeliacus*, quo intercedente cum plurimis partibus ventriculus coniunctus est: nervorum enim in hoc plexu tantus est numerus, ut apte cerebrum abdominale nominetur. In explicanda autem ventriculi cum ceteris organismi partibus sympathia magni est habendum par octavum, cuius maxima parte ventriculus gaudet. Itaque irritamento quodam, quod pharyngi ramulis nervi vagi praedito infertur, quam facillime per consensum stomachum afficere atque nauseam vomitumque excitare valemus.

Primum autem inter causas locum tenere *nervum intercostalem* summo iure *sympathicum* vocatum in dubium vocari nequit. In cavo encephali exortus, ad os coccygeum usque descendens et ubicunque ramulos demittens et excipiens omnes fere partes unico et intimo nexu nerveo coercet; ab ista arcta connexione per ner-

vum sympathicum inter partes effecta permulta symptomata derivari licet, quae alioqui explicare non possumus.

Haud minoris momenti vasorum utriusque generis connexio est, quippe quae tam lata uberque ventriculum inter et ceteras partes intercedit. Praesertim vasorum lymphaticorum vis non est praetervidenda: nam, quum ad nutriendum organismum functioni ventriculi et intestinorum hoc systema summe inserviat, eodem modo ad illorum pathemata communicanda quam maxime valere, non est dubitandum. Attamen omnia iam commemorata non sufficere ad explicandam rationem, quare nonnullae organismi partes sane singulari nexu consensuali gaudeant, libenter confitebor. De illo praesertim consensu hoc monendum esse opinor, qui ventriculum inter et renes atque uterum intercedit, aeque inter genitalia et intestina. Quibus partibus singularis relatio supponatur, necesse est, cuius veram naturam eruere nobis hucusque non contigit.

CAP. III.

De emolumentis consensus pro morborum medela.

Condolentia partium et naturae et medico practico maximi momenti est. Quid naturae vis medicatrix conservatrixque, quid medici, auxilio exinde proveniente orbati? Quod sanitatem hominum conservat et restituit, certe nihil aliud est, nisi saluberrimum illud vinculum quo omnes organismi partes mutuae noxam singulari il-

latam participant et coniunctim amovere student. Mirando illo et efficaci inter partes commercio instructa vis vitalis aliquando miracula praestare valet, ubi desperanti medico licet otiosum spectare et obstupescere. Attamen negari non potest, interdum naturam aut ad omnia impedimenta superanda nimis debilem esse aut per eundem consensum partium, quo tantopere viget ad restituendam sanitatem, properare ad organismi interitum, dum, consilii impos, mala uni parti primarie illata transferre minatur in eius modi partes, quarum laesio mortem adducat. Nunc potissimum medici est, vel naturam adiuvare, vel regere atque gubernare. Sed hoc munere rite fungi nequit, nisi morbum ipsum bene cognovit. Quoniam autem pleraque signa, quibus instructi diagnosin morbi statuere valemus, proficiscuntur e consensu singularium partium, certe operae pretium est, ut illi quam maximum studium impertiamus. Apta profecto sunt verba Indorum: rerum periti interrogant, imperiti quid interrogent nesciunt.

Nisi, parte quadam laesa, una plures sympathetice afficerentur, copia morborum symptomatum valde exigua esset et certe plurimos morbos medicus praetervideret. Lex autem illa animalis, qua duce consensus invadere solet, eo magis a medico investiganda et sedulo observanda est, quia non solum ei inservit ad cognoscendos hominum morbos, sed etiam quam maximum auxilium praestat in illorum curatione.

Inter omnes organismi partes sane ventriculus et intestina latissimo ac praestantissimo consensu fruuntur, cuius cognitio eapropter omnium est maxime necessaria

Nam quum ventriculus laesus remotissimas corporis partes malo consensuali inficere, et vice versa ab iis ipse affici potest, nil facilius explicatu, quam quod affectio primaria a rerum imperitis saepe non eruitur, vel commutatur cum alia; quo fit, ut multi morbi per longius temporis spatium sine omni effectu curentur. Cavendum igitur est, ne fallamur et sedulo investigandum, ubi re vera sit morbus. Sicuti plurimorum morborum origo in stomacho est repetenda, etiam permulti alii plane alioquin orti per remedia, in ventriculum et intestina primarie agentia, optimo effectu curantur. Magnam illam laudem atque gloriam, qua latissimus emeticorum usus fruitur, potissimum debet illi amplissimo consensui, quo ventriculus et intestina ceteris partibus praecellunt. Itaque dubium non est, quin eximium et saluberrimum lucrum afferatur morborum curationi partium commercii cognitione, cui sedulo amplificandae medicum profecto operam quam maximam navare oportet.

CURRICULUM VITAE.

Ego Philippus Richardus Savels, confessioni catholicae addictus, Aquisgrani natus sum anno MDCCCVI., die primo Maii, patre Ioanne Savels, et matre e gente Degraa; quos parentes adhuc superstites quam maxime veneror. Primis litterarum elementis instructus gymnasium aquisgranense petii et ad vitae annum decimum nonum frequentavi. Deinde examine maturitatis feliciter superato, anno MDCCCXXV. in almam literarum universitatem Friderico-Guilelmam rhenanam me contuli, ibique mense Octobris in numerum civium academicorum a Rectore magnifico Hasse receptus et a Decano spectabili Maier in album relatus sum. Ex hoc tempore mihi traditae sunt disciplinae sequentes: physice ab Ill. a Muenchow, chemia ab Ill. Gust. Bischof, Zoologia ab Ill. Goldfuss, mineralogia ab Ill. Noeggerath, botanice generalis et pharmaceutica ab Ill. Ill. Nees ab Esenbeck sen. et iun. De logica et psychologia Ill. Elvenich audivi. In encyclopaedia et methodologia medica nec non in pathologia generali Ill. Mueller, in osteologia, in neurologia et anatomia comparata Ill. Weber, in anatomia generali et speciali nec non in physiologia Ill. Maier praeceptores, et in dissecandis cadaveribus isti Ill. viri anatomiae professores, duces mihi fuere. Materiam medicam, artemque formulas concinnandi Ill. E. Bischof, therapiam generalem et specialem, semioticen specialem et animi morbos Ill. Nasse, diaeteticam hygieinamque Ill. Harless mihi tradiderunt. Chirurgiae autem praeceptis et institutionibus aciurgicis, nec non praelectionibus de ossium luxationibus et fructuris, atque de fasciis ac deligationibus applicandis ill. a Walther usus sum.

Per quinque semestria praelectionibus, de quibus retuli, frequentatis in almam litterarum universitatem Berolinensem profectus sum, ibique a Rectore magnifico Bethmann-Hollweg numero civium academicorum adscriptus et a Decano spectabili Rudolphi anno MDCCCXXVIII. mense Maii in album relatus sum. Praelectionibus Ill. Casper de infantum morbis, Ill. Wagener de medicina forensi, Ill. Link de toxicologia interfui. Oculorum morbos Ill. Juengken mihi tradidit et in exercendis operationibus in iis instituendis dux mihi fuit. De arte obstetricia tam theoretica quam practica Ill. Kluge disserentem audivi nec defui illius exercitationibus clinicis. Sub auspiciis Ill. Bartels praxin medicam, Ill. de Graefe et Ill. Rust praxin chirurgicam et ophthalmiatricam exercui.

Tentamine philosophico Bonnae et medico nec non examine rigoroso Berolini coram gratioso medicorum ordine rite absolutis spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Locus doloris non semper locus morbi.

II.

Quos sola natura morbos superare valet, eos artis propero auxilio supprimere non debemus.

III.

Complicatio cum amaurosi non semper cataractae operationem prohibet.

IV.

Diabetae proxima causa quaerenda est in digestione laesa.